

## No 575. 1367. 29. Nov.

*König Wenzel von Böhmen bestätigt die durch den Markgrafen Ludwig den Römer geschehene Ueber-  
eignung des Patronatsrechts der Kirche zu Lübben an das Domcapitel.*

Nos Wenczeslaus dei gratia Boemiae rex et Lusatiae marchio notum facimus tenore praesentium universis, quod veniens ad praesentiam nostram illustris Bolko dux Swidniczensis et Lusatiae marchio patruus noster carissimus nobis exposuit, quod magnificus princeps quondam Ludwicus Romanus tunc Brandenburgensis et Lusatiae marchio pia devotione, quam ad ecclesiam Missnensem gerere videbatur, illectus indulsit annuit et consensit, ut praepositura sive parochialis ecclesia in Lubyn infra terminos marchiae Lusatiae consistens, cuius ius patronatus ad ipsum tamquam terrae dominum illo tunc [tempore] hereditarie pertinebat<sup>1)</sup>, archidiaconatui Lusatiae per . . episcopum et capitulum ecclesiae Missnensis praedictae incorporaretur annecteretur et uniretur, renuntians expresse iuri praesentationis, quod sibi et heredibus suis et posteris ad ecclesiam eandem competebat, quodque postmodum ecclesia ipsa sit et fuerit canonice eidem archidiaconatui iuxta praedicti Ludwici marchionis votum et desiderium incorporata annexa et unita, et petivit instanter, quatenus tam pium tamque laudabile factum, quod idem Ludwicus pro animae suae remedio<sup>2)</sup> et subditorum suorum incolarum terrae Lusatiae commodo et quiete tam liberaliter fecisse noscebatur, gratum et ratum habere et litterarum nostrarum regalium testimonio approbare curaremus. Nos vero qui divini nominis cultum nostris augeri temporibus affectamus spem firmam fiduciamque in domino gerentes, quod ecclesiae Missnensi praelibatae, ad quam speciali devotionis trahimur affectione, utilitas non modica exinde debeat accedere, nobisque aeternae retributionis praemium suffragantibus orationibus personarum eiusdem ecclesiae procuretur, indulgentiam voluntatem consensum et renunciationem per praefatum quondam Ludwicum marchionem super ecclesia in Lubyn ut praemittitur factas, ac incorporationem annexionem et unionem exinde canonice subsecutas ratas et gratas habentes laudamus, ratificamus et tenore praesentium approbamus promittentes, quod nec per nos nec per aliquam personam aliam contra praemissa vel praemissorum aliquod facere vel venire verbo vel opere ullo unquam tempore debeamus, praesentium subappenso nostro sigillo testimonio litterarum. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo in vigilia sancti Andreae apostoli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an einem Pergamentstreifen hängt das grosse Siegel des Königs Wenzel mit einem Contrasigill (in rothem Wachs, Doppeladler mit dem Löwen).

1) spectabat 576. 2) salute 576.

## No. 576. 1367. 29. Nov.

*Kaiser Karl IV. bestätigt dem Domcapitel das ihm verliehene Patronatrecht der Kirche zu Lübben.*

Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemiae rex honorabilibus . . praeposito . . decano et capitulo ecclesiae Missnensis necnon Cunrado Prütze archidiacono Lusatiae in eadem ecclesia devotis suis